



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemerologivm Ecclesiastio-Rubricisticum Novum

Halden, Johann Baptist

Brixinæ, 1717

Titulus XXVI. De Dominica IV. post Pascha, & Ferijs infra Hebdomadam IV.
post Octav. Paschæ occurrentibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39937

perum subinde est, Schedas illas non esse satis Authenticas, [cujusmodi etiam circa aliorum Sanctorum Officia, nominatim S. Conradi Placentini, ut P. 2. 19. Febr. anno, vulgaræ non semel fuerunt] ideo abstinendum erit à Recitatione illius Officij ijs in locis, pro quibus legitimè non constat esse concessum à Sac. Rit. Congr. ipsaque Sede Apostolica. Quòd si particulari alicui, Eccl. alterive Communitati, aut etiam Regno ponatur Specialiter concessum, non tamen propterea etiam alij illud recitantes censeri possunt satisfacere Præcepto de recitandis

Hor. Canon, quandoquidem S. R. C. [ut constat ex ejus Decretorum Registro, Calendario Brev. ac Missal. Rom. præfixo] declaravit, citra suam, aut Sedis Apostol. Licentiam non posse extendi *de Loco ad Locum officia alicubi concessa*. Post hæc jam jam typum subitura, accipio Litteras, quibus mihi significatur, rescriptum esse Româ ad quemdam Directorij cujusdam in Provincia Austriæ Concinnatorem, nihil Romæ sciri de Indulto Apostolico Provincie illi concessio pro celebrando supra dicto Festo S. Raphaelis.

TITULUS XXVI.

De Dominica IV. post Pascha, & Ferijs infra Hebdomadam IV. post Octav. Paschæ occurrentibus.

HÆC quoque DOMINICA cum sua Hebdomade, quoad Modum dicendi in ijs Officium & Missam, nil habet diversum à modo eadem dicendi superius Dominicâ I. & II. post Pascha declaratò. Quòd si Lectiones I. Nocturni hujus Dominicæ lectæ sint pridie [ob occurrens scilicet Sabbato præcedente Festum SS. Apostolor. Philippi & Jacobi] tunc in I. Nocturno hodierni Officij non sunt repetendæ hesternæ Lectiones,

seu *Initium Epistolæ Catholice S. Jacobi Apost.* sed legi tunc hodie debent Lectiones Feriæ secundæ subsequen-
tis, juxta Propr. huic Dominicæ Rubricam. Quòd si ob *Festum Duplex* habens proprias alias Lectiones, in hac Dominicâ occurrens, *Initium Epistolæ S. Jacobi*, nondum lectum, in ea poni non possit, ponendum illud est proximo die infra Hebdomadem [seu feriali, seu festivo] similiter non impedirò. Pari modo si Responsoria I. Nocturni hujus Do-
mi-

minica, in qua primò ponuntur, ob occurrens in ea Festum Duplex, in hac Dominica poni non possint, tunc ponenda sunt prima die ejus Hebdomadæ, in qua occurrit fieri de Feria, & omittenda illa, quæ fortè in ea Feria propria habentur: Quòd si totà hâc Hebdomadâ non occurrat dies, in qua fiat de Feria, ponenda sunt hujus Dominicæ Responsoria I. Nocturni in sequente Dominica, aut Hebdomade similiter non impedita: Unde quandoque sit, ut illis ponendis primùm detur locus in Feria III. Rogationum; quæ si & ipsa sit impedita, eò annò penitus sunt omittenda.

TITULUS XXVII.

De Dominica V. post Pascha, & Ferijs Rogationum.

HAC ETIAM DOMINICA Officium & Missa sunt eò modò, quò dictum suprâ Dominicâ I. & II. post Pascha.

In I. tamen illius Nocturno ponitur *Initium Epist. 1. S. Petri Apost.* Quòd si ob Festum Dupl. habens proprias Lectiones, hodie poni non possit, ponendum est die proximo similiter non impeditò. *Rub. Gen. 26. n. 7.*

Quòd si Responsoria I. Nocturno hujus Dominicæ assignata [quæ omnino coincidunt cum Responsorijs I. Nocturni Dominicæ IV. post Pascha] neque in hodierna, neque in præcedente Dominica, ob occurrens in utraque Festum Duplex, neque etiam in tota præcedente Hebdomade [eò quòd nunquam fieri potuerit de Feria] primò poni poterint, aut possint, tunc ponenda sunt sequenti Feriâ tertiâ Rogationum, si tunc fiat de Feria, aut etiam hac impedita in Feria 4. Rogationum, si tunc fiat de Vigilia; alioquin omittenda pro eo anno ex præscripto Rubric. General. Tit. 27. n. 7.

FERIA II. ROGATIONUM est *Feria major*. Unde licet non excludat Festum 9. Lctionum in ea occurrens, etiam translatum, quò minùs in ea possit celebrari, fieri tamen de ea Commemoratio debet in Laudibus ac Missa ante Commemorationem Festi Simplicis, si etiam de eo simul occurrente facienda sit Commemoratio, attamen post Commemorationem de die infra Octavam [si talis simul occurrat] nec non in Officio dici de eadem 9. Lectio, & in Missa ultimum legi Evangelium, quocunque Festo, etiam 1. Claf. in ea occurrat.

Quòd